

No. 111. 1399. 30. Apr. 1458. 4. Juli.

*Pabst Bonifacius IX. ertheilt denjenigen, welche der täglich in der Capelle zum h. Kreuz durch die Geistlichkeit Dresdens stattfindenden Absingung des Salve regina in Andacht beiwohnen werden, einen 40tägigen Ablass und Bischof Caspar von Meissen bestätigt und vermehrt denselben.*

Bonifacius episcopus servus servorum dei universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Dum praecelsa meritorum insignia, quibus regina coelorum virgo dei genitrix gloriosa sedibus praelata sidereis quasi stella matutina praerutilat, devotae considerationis indagine perscrutamur, dum etiam intra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordiae et gratiae pietatis amica humani generis consolatrix pro salute fidelium qui delictorum onere praegravantur sedula exoratrix et pervigil ad regem quem genuit intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur, ut Christi fideles ad eiusdem virginis assiduam venerationem iugemque memoriam quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus invitemus, ut exinde divinae gratiae reddantur aptiores. Cum itaque sicut accepimus in capella sanctae Crucis opidi Dresden Misnensis diocesis, in qua ut asseritur dicta gloriosa virgo multis claruit divina operatione miraculis et in qua etiam capella ob reverentiam et honorem eiusdem virginis gloriosae singulis diebus tempore videlicet serotino antiphona de ipsa gloriosa virgine, quae Salve regina misericordiae inchoatur, per clerum dicti opidi solenniter et devote consueverit decantari quodque ad decantationem huiusmodi magna ipsius opidi similiter cum devotione conveniat populi multitudo, nos cupientes ut Christi fideles eo libentius causa devotionis ad huiusmodi decantationem confluant, quo ex hoc ibidem uberius dono coelestis gratiae conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere poenitentibus et confessis, qui capellam ipsam tempore decantationis huiusmodi devote visitaverint et ipsi decantationi interfuerint ut praefertur, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod si alias Christi fidelibus qui decantationi huiusmodi interfuerint aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, praesentes litterae nullius existant roboris vel momenti. Datum Romae apud sanctum Petrum II. Kal. Maii pontificatus nostri anno decimo.

M. de Cherubinibus.

Jo. de Pempeluorde.

Caspar dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis indulgentias supra scriptas ratas et gratas habentes admittimus ratificamus et confirmamus per praesentes ac de nostris omnibus vere poenitentibus et confessis, qui se ad praemissa exhibuerint, quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis poenitentiis in domino misericorditer impartimur harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio